

*Privilegio a favore della città di
Benevento e revoca degli statuti
contrari alla libertà dei suoi cittadini.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Privilegio a favore della città di
Benevento e revoca degli statuti
contrari alla libertà dei suoi cittadini.*

1265-07-08

Karolus etc. universis civibus Beneventanis, Ecclesie Romane fidelibus.

Perpetuum dignum et conveniens fore decrevimus ut Nos, qui Regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane Ecclesie, excepta civitate vestra Beneventana cum toto territorio ac omnibus districtibus et pertinentiis suis, ab Apostolica sede... recepimus, vos et civitatem eandem, quam cum finibus eius antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque... sibi placuerit... distinguat, in suum demanium et dominium eadem Romana sibi retinuit et reservavit Ecclesia, nullo jure Nobis vel cuicumque alii de Regno predicto ibi retento..., ob predictae sedis reverentiam, ut regiis prosequamur favoribus et... privilegiis muniamus decet namque ut civitas eadem, que a persecutoribus eiusdem Ecclesie dura et aspra multarum vexationum et tamen gravissimi exterminii seu excidii dispendia pertulit, nostro felici tempore non solum ad antiqua prioris, verum etiam ad nova, nove et antike tranquillitatis, secula redeat, et ad statum libertatis solide reducat, et in eo ad laudem et gloriam divini nominis et honorem ipsius Ecclesie perseveretur. Per presens igitur Maiestatis nostre privilegium scire vos volumus quod, pro predicta civitate vestra Beneventana, per vos hac vice reficienda, exponemus per septennium pro lignaminibus omnia nemora predictorum Regni et terre, et omnem materiam ad edificia oportunam, puta lapides, arenam que puteolana vocatur, cementum et similia, sine preiudicio iurium singularium personarum, ad unam dietam prope civitatem predictam. Prestamus etiam civibus Beneventanis securitatem per totum

Regnum et terram predictam, nisi in terra nostra de novo delinquant, propter quod ad Nos de iure iudicia pertinebunt. Privilegia insuper dicte civitati a Regibus et principibus concessa servabimus illibata; omnia statuta per quondam Federicum olim Romanorum Imperatorem seu quoscumque alios Reges Sicilie facta contra libertatem civitatis eiusdem...revocamus, et in omnibus libertatibus... ceteris regnicolis vos et civitatem parificamus eandem. Nec aliqua statuta seu leges aliquas condemus in posterum, per que dicte civitati directe vel indirecte possit preiudicium generari. Denique pro predictae sedis et B. Bartholomei Patroni civitatis eiusdem reverentia, fidentias remitti faciemus ab omnibus et remittimus ex nunc vobis, fidentiarum autem remissio est concessio libertatis, ut vos possitis libere proprias vineas et terras excolere ipsarumque fruges et fructus recolligere, ac easdem terras et vineas vendere, et de ipsis pro vestra voluntate disponere, sine aliqua exceptione vel munere vel etiam datione. Ut autem huiusmodi nostre munificentie gratia firma et illibata permaneat...presens privilegium, munitum aurea bulla, typario nostre Maiestatis impresso, vobis duximus concedendum.

Datum Rome, per manum Roberti de Baro, Regie Curie nostre Prothonotarii, octavo idus iulii, octave indictionis, Regni nostri anno primo.